



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXI. Relatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Relatum.

PARAPHRASIS.

Significatum est Alexandro III. quòd Ecclesiasticæ personæ occasione laicæ recognitionis (quia v. g. Dominus loci jus patronatûs habet) sine Episcopi autoritate beneficia in parochijs vendicare sibi audent, quia ergo isti non intrant per ostium, sed aliunde ascendunt, & ideò digni non sunt pastoris nomine, ut prærogativâ gaudeant, ideo Papa mandavit Archiepiscopis & Episcopis Angliæ, ut, si illæ personæ beneficia non resignarint, quæ sine Episcopali concessione habent, ab officio & beneficio suspendantur; si neque tunc destiterint, excommunicentur, neque ante satisfactionem condignam absolvantur.

SUMMARIUM.

1. Intrusus per Laicam potestatem sine Episcopi autoritate in beneficium, titulum, & jus Pastoris veri non habet.
2. Et Censuris constringi potest, ac debet ad resignandum.
3. Et qui taliter possessiones Ecclesiarum invadunt, sunt excommunicandi.
4. Et taliter spolians Ecclesiam tam coram seculari, quam Ecclesiastico iudice conveniri potest.

Notandum primum. Qui in Ecclesiam per Laicam quamcunque potestatem sine Episcopi autoritate intrusus est, non tantum titulum, ac jus pastoris, prælati, aut beneficiarj non allèquitur, sed neque nomine gaudere debet, ita ut non Prælatus, aut Rector dicendus sit, sed cum addito intrusus, aut præensus, nam nomina rebus convenientia esse debent. *Instit. de donationibus §. est & aliud.*

2. Notandum secundum. Qui beneficia, aut prælaturas à Laica potestate accipiunt,

cenuris constringi debent ad resignandum etiam excommunicari, ac denique deponi. Videri potest *Cons. Trid. Sess. 22. c. ult. de reform.*

Notandum tertium. Qui Ecclesias spoliavit, aut possessiones earum invadunt, sunt excommunicandi, sive sententia lata non ferenda, cum comminatione excommunicationis ipso facto incurrerent, nisi absterint, & satisfecerint *c. conquestus 16. j. n. c. Glossa finali de foro compet.* Et postquam contumaces facti excommunicationem contraxerunt, ea declaranda & promulganda est, uti hic significatur. Porro in *Trident. cit. c. ult.* continetur excommunicatio sententiæ lata, & reservata Papæ contra eos, qui bona jura, vel jurisdictionis Ecclesiarum usurpare, aut in proprios usus convertere præsumserint, vel impedire, ne ad eas perveniant, ad quos de jure spectant; imò per si Patronus Ecclesiæ ita delinquit, ut jurè Patronatûs privetur.

Notandum quartum. Laicos Ecclesiam spoliavit, coram seculari iudice conveniri potest, quia actor forum rei sequitur *c. cum sit. 8. de foro compet.* Potest tamen etiam coram Ecclesiastico conveniri, idèque hoc sacrilegij crimen, censetur esse inveniendi *cit. c. cum sit. junctâ Gloss. & Glossa finali in cit. c. conquestus.* Verum in quibusdam locis Laici iudices seculares non permittunt tales causas contra Laicum sibi subditum in foro Ecclesiastico agitari, quamvis male agant, & contra canonem.

CAPITULUM XXII.

Eam te.

PARAPHRASIS.

Si circa jus patronatûs in aliqua Ecclesia judicialis lis orta sit, & intra 6. menses post Ecclesiæ vacationem numerandos non finita, Episcopus personam idoneam instituere potest.

* * *

SOL.